


prosthaphæresis, ac differentia æqualitatis & apparētiae, quas differentias etiam mutari necesse est, propter  $ED$  lateris mutationem, ut iam dictum est.

De examinatione motus æqualis secundum longitudinem. Cap. XVIII.

**H**Æc de annua Solis inæqualitate sunt exposita, At non per simplicem, ut apparuit, differentiam, sed mixtam ad huc illi, quam patefecit temporis longitudo. Eas quidem posthac discernemus à se inuicem. Interea medius æqualisq; motus cētri terræ, eo certioribus redetur numeris, quo magis fuerit ab inæqualitatis differētijs separatus, ac longiori temporis interuallo distans. Id autem constabit hoc modo. Accepimus illud Autumni æquinoctiū, quod ab Hipparcho obseruatum erat Alexādræ, tertia Calippi periodo, anno eius  $XXXII$ . qui erat à morte Alexandri annus, ut superius recitatum est, centesimus septuagesimus septimus, post diem tertium quinq; intercalarium in media nocte, quam sequebatur dies quartus: secundum uero quod Alexādræ longitudine Cracouiam ad oriētem sequitur per unam ferè horam, erat una hora ferè ante medium noctis. Igitur secundum numerationem superius traditam, erat Autumnalis æquinoctij locus sub fixarum sphæra à capite Arietis in partibus  $CLXXVI$ . scrup.  $X$ , & ipse erat Solis apparens locus: distabat autem à summa abside part.  $CXIII$ . s. Ad hoc exemplum designetur circulus, quē descripsit centrum terræ  $ABC$ , super centro  $D$ , dimetiens sit  $ADC$ , & in eo Sol capiatur, qui sit  $E$ , apogæum in  $A$ , perigeū in  $C$ . At  $B$  sit unde Sol Autumnalis apparuerit in æquinoctio, & connectantur rectæ lineæ  $BD$ ,  $BE$ . Cum igitur angulus  $DEB$ , secundum quem Sol ab apogeo distare uidetur partium sit  $CXIII$ . s. fueritq; tunc  $DE$  partium  $415$ . quarum  $BD$  est  $10000$ . Triangulum igitur  $BDE$  per quartum planorum, datorum sit angulorum, & angulus qui sub  $DBE$  partium  $II$ . scrup.  $X$ , quibus angulus  $BED$ , ab eo



$Z$  ab eo